

† Fr. I. Bernardus (Ioannes B.) Gahr (1834-1926).

(*Prov. Germ. Sup.*)

† Fr. I. Bernardus (Ioannes B.) Gahr (1834-1926).

(*Prov. Germ. Sup.*)

Hic Frater laicus ideo dignus est, cuius vitae curriculum saltem breviter in Analectis referatur, quia S. Patriarchae nostri Alphonsi annos vidiit, immo ad annum nonagesimum alterum pervenit, et vocationi caelesti fidelis septuaginta annos inter Liguorianam familiam pie et religiose vixit. Coniungit igitur quodammmodo nos cum illis illustribus S. Clementis et Ven. P. Passerat discipulis, qui Congregationis Transalpinae fundamenta posuerunt, et eorum praeclaros mores et vitae disciplinam posteris in se contemplandam dedit. Magna fuit Bernardi nostri fidelitas vocante Christo ad claustra, maior bello iniusto contra religiosos in eius patria furente, maxima vero, cum usque ad summam senectutem in pio proposito perseveravit.

Joannes B. Gahr natus est in Baiérbach prope Mallersdorf in Bavaria Inferiore d. 6 Oct. 1834, a piis honestisque parentibus, quibus praedia satis ampla erant. Cum nondum complessset annos 22, kalendis Maii 1856 in Altötting collegii nostri portam pulsavit. « Quod postea cogar deserere, desero modo volens », tum effatus esse dicitur. Vocationi exorienti favisse videtur liber domi fortuito inventus, quem S. Alphonsus de statu religioso scripsit. Vota nuncupavit d. 26 Maii 1860. Omnia fere claustrum munia, eaque perbene, in vices obivit, imprimis coqui et hortulanus.

Cum dira tempestas illa, *Kulturkampf* vocari solita, in novo imperio Germanico exorta esset, etiam nostri, velut Jesuitarum « affines », e patria iniuste expulsi sunt. At cum nonnulli alii Fratres laici tum votorum dispensationem peterent, Fr. Bernardus fidem semel datam servavit illaesam maluitque exsul in Hollandiam et Austriam fugere, quam vexillum gloriosum SS. Redemptoris deserere.

Tandem post exsilium viginti annorum illuxit faustus ille dies, quo ei in patriam regredi licuit. Ultimos terrestris peregrinationis annos in hospitio nostro Halbmühlensi ad Matris Dolorosae sanctuarium degit, neque dolores varii ibi Fr. Bernardo defuerunt. Hydrope enim aliisque morbis laborare coepit, et quae corporis animique molestiae ultro nascantur, si quis, aëri et labori assuetus, semper in conclavi sedere vel cubare cogitur,

nemo est, qui nesciat. Quam longi nostro Bernardo fuerunt dies, quam longae noctes! quam amara solitudo quasi perpetua! Tamen in omnibus his superavit propter eum, a quo se impense diligis sciebat et qui suos electos probari et purgari vult in fornace tribulationis. Si quid eum gravabat, ipse se vincebat solo verbulo: « In nomine Dei! » Ceterum usque ad finem vitae invigilabat laboribus horti, cum a Fratre hortulano, his rebus minus instructo, expresse rogatus esset, et saepe se eo portari, non sine magnis suis doloribus, passus est. Viribus fractus venerandus senex mortuus est in osculo Domini d. 6 Iul. 1926. R. i. p.